

Cùm

*Nobilissima Matronarum Ornatissimaq;***DN. ANNA KU-
NIGUNDA****VIRI***Maximè Reverendi Magnifici atque
Excellentissimi***DN. JO. BENEDICTI
CARPZOVII,****SS. Theol. D. & in Acad. Lipsiensi Prof. P.**longè Celeberrimi, Colleg. Maj. Principum Colle-
giati, Academiae h. t. Præpositi Magni, & ad

D. Thomæ Pastoris,

CONJUX DESIDERATISSIMA,Immortali Spiritu d. 12. Maji ad Superos præmissò, exa-
nime corpus ipso Ascensionis Festo terræ
redderet;**MOESTISSIMO VIDUO,***Domino Hospiti Patrono ac Præceptorì**etatem de venerando*

Hanc qualemcunqve sinceræ pietatis tesseram debuit

Summè Reverendæ Ipsius Magnificentia

cultor observantissimus

Johannes Trelund

Hafniensis.

LIPSIÆ,

Typis JOH. HEINRICI RICHTERI.

M DC XCIV.



*Ipsa solve comas! cytharas suspendite Musæ,
Pallida lugubres conde Minerva modos!
Parcarum invidiâ feralibus occubat umbris
Lux generis, sexus pulcra corona sui;
MAGNIFICI decus & solatia mille MARITI;
Præsidium natis & pretiosus amor;
Illud sinceræ Pietatis amabile sydus,
Cui Pudor & Candor luminis instar erant;
Illud Virtutis Templum venerabile, cuius
Spiritus ara, preces hostia, flamma DEUS,
Ornatus pia facta sacer, foribusque notatum:
Noli me vitium tangere, nomen erat.
Quid tamen innumeras numerò comprehendere dotes,
Vel Dominæ nomen dissimulare juvat?
CARPZOVIA est, quid dico? fuit, CARPZOVIA, primò
Nominis auditi de veneranda sonò,
Plus veneranda tamen, virtutum quando recessus,
Vitaque tam celebri nomine digna, patent.
Quippe vel invidiæ si prodeat ante tribunal,
Tam bona causa nihil, quod vereatur, habet.
Illa DEO motus animi devoverat omnes,
Nescia natalis dememinisse poli,
Nescia fallacis deludi schemate mundi,
Quo tamen illiciò pleraque corda tenet;*

IIIa


Illa verecundos formæ conjungere mores,
 Ingenioque humiles, Numine docta fuit;
 Fortunam poterat reverenter habere secundam,
 Adversæ pariter ferre parata jugum;
 Fœdus amicitie non sanctius altera fovit,
 Sed nec opem miseris promptior ulla tulit;
 Utque brevi liceat complecti singula versu,
 Prorsus CARPZOVIO Conjuge digna fuit,
 Et ferme, quantum Divinâ voce MARITUS,
 Omnibus exemplò profuit una suo.
 Sed TUA quam subito perit VIR SUMME voluptas!
 Quam TUA spe citius spes pretiosa cadit!
 Illa TUÆ futura domus, quasi fulminis ictu
 Occidit, & terræ consocianda ruit.
 Quæ TIBI nuper erat lenimen dulce laborum,
 Irritamentum quate doloris erit!
 Cui princeps modò cura, Tuos attendere nutus,
 Nunc lacrymis etiam lumina clausa gerit,
 Milleque blanditiis animum TIBI reddere docta
 Jam sub ferali pulvere lingua silet.
 Frangeret hoc alios, TUA frangi nescia Virtus
 Tot mala, ceu durum palma triumphat onus.
 Consolatorem solatia quomodo fallent?
 Aut sitiet, cujus singula fonte bibunt?
 Quo Duce, tot fragiles portum tetigere carinæ,
 Absit, ut in Syrtes naufragus Ipse ruas.
 Digna quidem longò Conjux TUA nobilis ævò,
 At magis eternâ digna salute fuit,
 Esse TUAM toto, voluisses, tempore vitæ,
 Quid facies? Cælum maluit esse SUAM;
 Unde TIBI missa est, nullus mirere remissam,
 Depositi Superis integra jura manent,

Quid?

Illu



Quid? quòd munifici clementia Numinis Illam
 TE curæ simulat deposuisse suæ.
 Hinc fovet assumptam de xtraque potente tuetur,
 Quæ supremâ eadem restituenda die,
 Restituenda eadem, non quâ TIBI cognita formâ,
 Sed facie Angelicum tota imitante decus.
 Hinc TUA, MOECENAS, mens hauriat ægra medelam,
 Quæ nunc plus uno fulmine tacta gemit;
 Pallida confuso mors hinc assuesce rubori,
 Cui non est spoliî spes diuturna tui;
 In medio tandem CARPZOVIA pulvere jactet:
 SE, non virtutes hîc latitare SUAS.



Quid?

Cum

Nobilissima Matronarum Ornatissimaz

**DN. ANNA KU.
NIGLINDA**

*Maximè Reve
Ex*

**DN. JO. B
CAR**

**SS. Theol. D. & in
longè Celeberrimi, C
giati, Academiae**

**CONJUX DE
Immortali Spiritu d. 12. I
nime corpus ipsi**

**MOESTIS
Domino Hospita**

*Hanc qualemcunqve
Summe Reverenc*

Johann

LI

**Typis JOH. HEINRICI RICHTERI.
M DC XCIV.**



**CTI
i Prof. P.
m Colle-
& ad**

**MA,
nissò, exa-**

*uit
tia*

